

tiū monumenta, quōt in vno usurpata, miraculi ve-
nerationem & officia gratiæ; in vno amissa, desiderium
grande ac dolorem merebantur. Ita inter beneficium
publicum, quod palam erat, & iacturam, quæ abstru-
sa etiam, mitigari non poterat, suspensæ mentes, fensum
præsentis acerbitalis, fortunæ prioris comparatione, lu-
ctum, fortitudine; memoriam funebrē, faustis recorda-
tionibus, sive miscebant, sive solabantur. Apparebat sane,
satis Deo, satis sibi, satis gloriæ vixisse, imo semper & pro-
pius victurum esse, qui inter seniles annos, & exhaustim
lestias corporis, & nemini iam vitalem, tot casibus tem-
porum, vitam, sui Auctoris voluntati cæloque permissus,
æternitate, supra ævum beatus, honore meritorum cum
ævo omni superstes, prorsus humani voti mensuram
impleuisset. Neque de exitu eius queri natura rerum po-
terat, cui cum ad fastigium vniuersæ laudis promte esset
ac benigne obsecuta, magnum & incomparabile sui o-
peris præmium, ab industria capacis animi & viuacibus
scriptis tulit, quibus & ipfam & humanum orbem late
illustravit. Verum enim vero ea est magnorum casuum
importunitas, vt inter ipsa constantiæ meditamenta, ali-
quis ex necopinato horror, eluctantem per aduersa fi-
duciam interpellat aut lacepsat. Etiam cum à conspectu
præsentium, à desiderio ademtorum satis te muniueris,
venturæ profectos fortis vt ignoratior, ita formidabilior.

inter-